



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nic. Clenardi Epistolarvm Libri Dvo

Clénard, Nicolas

Antwerpen, 1566

Virtvte, Nobilitate, Atqve Ervditione Praestanti Viro D. Thomae Redigero
Carolvs Clvsivs, S. P. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70781](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70781)

VIRTUTE, NOBILITATE,
ATQVE ERVDITIONE PRAESTAN-
TI VIRO D. THOMAE REDIGERO
CAROLVS CLVSIVS, S. P. D.

5 **Q**VAM familiaris & amicus fuerit Clenar-
do Ioānes Vaseus, vir Graecè & Latine do-
ctissimus, generose Redigere, testari possunt,
cum simul suscepta profectio Hispanica, tū
10 pleraq; ipsius ad Vaseum litera. Clenardus postquam
ex Mauritania redijt, Granata obiit. Vaseus professione
Graecæ & Latinae linguae Salmantica adeptus, in eodem
munere perstitit vsque ad extremum diem, qui incidit
15 circiter viginti annis à Clenardi morte. Hac ideo com-
memorari, quòd mihi per Hispaniam peregrinanti, fa-
miliaritatem contrahere contigerit Salmantica, cum
ornatissimo viro Augustino Vaseo Ioannis filio, qui cum
20 multa de singulari inter patrem & Clenardum amici-
tia narraret, ostendit mihi plurimas Clenardi schedas
à Ioyceps, quas apud Vaseum reliquisset, atq; etiam
aliquot eius ad patrem epistolas & alios eruditos vi-
ros. Statim placuerūt illa mirū in modum, mihi persua-
25 dens isdem dotibus praeditas esse, quibus erant illa quas
Louaniy excusas aliquādo legerā. Sed cum earum exem-
plar minimè permissurū Vaseum scire, arte tractandus
mihi fuit, vt eas consequerer: siquidē omnino apud me
30 constituerā eas aliquādo in lucem proferre, rem gratam
omnibus studiosis proculdubio factururus. Non possunt
enim nō lectorem oblectare rerū varietate, & eū allicit
eius florida oratio, nō illa quidē elaborata, sed tamē pu-
35 ra. Nam cum ab ineunte etate linguarū fuerit studiosis-
simus, ad quarū cognitionem indefesso studio totus fe-
rebatur, vt stylum formaret, non admodū fuit sollicitus.

mors cle-
nardi

clenardi oratio.

Argumento tamen est eius pura dictio, licet extemporanea, quam disertè scribere potuerit, si peregrinarum linguarum (in quibus fuit αὐτοδίδακτος) praesertim verò Arabica uariè non adeò laborasset. In quadam certè ad Vaseum epistola seriò dolet, plus temporis stylo formando non se dedisse, eumque monet ut suo exemplo doctus, totum se eloquentiae studio tradat. Licet (inquit) mihi nunquam eloquentiae studiū displicuerit: nūquam tamen imperare mihi potui, ut vel iustum tempus operamq; in stylo formando ponerem: aut quicquid id esset quod scriberem, ad limam reuocarem. Qua de re seriò doleo. Cū enim rem propius aspicio, longè satius fuerat cum amicis pressius agere, & breuius aliqua adhibita vel arte, vel diligentia, quàm multarum horarum dispendio prolixiores quidem effundere literas, sed quibus describendis id modò consecutus sis, ut malè & tumultuariè garrere possis, prudenter atque disertè dicere non possis. Oro te, mi Vasee, ut exemplo meo doctus, iuuenis discas euitare, quod seni mihi iam non licet.

HAS epistolas, cū ex Hispanijs reuersus, Plantino diligentissimo Typographo excudendas tradere uellem, dispiciendūq; esset cuius potissimum patrocinio fultæ in publicum prodire possent, tu vnus occurristi, qui hanc prouinciam suscipere idoneus es uisus: memineram enim quàm earum quæ excusæ sunt lectione aliquando Louanij delectatus sis. Eas igitur superioribus coniunctas, tibiq; dicatas in publicum proferre placuit. Tuum erit hoc tenue munusculum ex Hispanijs eritū, pro tua singulari humanitate boni cōsulere. Bene uale. Brugis Flandrorum, Cal. Ianuarij, M. D. LXVI.